



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Iosephvs Sponsvs B.M.V. 19. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

quã arcanã repulsa. Dixisses neque supplici no-
vercã jam manes fidere. *Ex Surio.*

*Plantare pacem radicibus, Dei est: evellere peni-
tus, inimici. Nam sicut amor Fraternitatis ex Deo
est, ita odium ex Diabolo: quapropter damnanda
sunt odia, quoniam scriptum est, qui odit fratrem
suum, homicida est. S. Pet. Chryf. serm. 53.*

S. IOSEPHVS SPONSVS B. M. V.

19. Martij.

Compendium laudum IOSEPHI dedero, &
convixisse IESV & MARIÆ dixerò; huic
Sponsum integerrimum, illi nutritorem sedulum.
Arcanorum ergo conscius omnium, multa gavi-
sus est gaudia, multa dolenda doluit. Vtraq; VII.
fuisse binis è D. Francisci cœtu ipse voluit manife-
stum. Et gaudio quidem primus omnium delini-
vit animum nuntius, quo non nisi DEO plenam
MARIAM intellexerat, tum deinde aures recrea-
runt ad cunas magni infantis choraulæ nobiles;
sed longè demulsit suavius nomen, quod ipse in-
didit, dulcissimum. Iam vaticinia Simeonis, quæ
Servatorem puerum; dejecta in Ægypto simula-
chra Dæmonum, quæ DEVM loquebantur, & An-
gelus, qui patriam exules revocabat, alijs atque
alijs gaudijs cumularunt. Illud demum delitijs
inundavit, cum quod charissimum habuit pignus,
amissum reperit. Et hæc gaudiorum materia; illa
dolorum fuere: tristis primò, quem à VIRGINE
parabat, secessus; tum pauperes cunæ, & prima,
quæ imbris prælusit, sanguinis pluvia; mox gla-
dius Simeonis, cor Sponsæ non nisi per præcordia
Sponsi petiturus; post fugam præpropera & Arche-
lai tyrannis; demum amissa in uno Puero omnia
bona

bona; hæc inquam, tot mœroris argumenta, quot antè lætitiæ, dubiam utrinque victoriam fecere. Ego, si fas sit, octavum & dolorem & gaudium addidero, mortē inter IESV ac MARIÆ amplexus. Quid enim acerbius, quàm hos ex oculis dimittere? quid dulcius, quàm ab his oculos claudire?
Ex lib. 3, Carthæg.

Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare: Erubescere superbe cinis: Deus se humiliat, & tu te exaltas; Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis
Auctori. S. Bernard. hom. 1. super Missus.

S. PANCHARIUS M. 19. Martij.

Nemo, ô juvenis! nemo rectè duobus Dominis unus servit. Nempe duos nec amabis, nec amaberis à duobus. Si fidem Christo non habes, ah saltem tibi habe, juvenutis habe Principi PANCHARIO. Quid non huic nomen suum promisit? unus Diocletiani furor, qui patriam infestabat, terrebat. Ergo Romam itur. Ah PANCHARI sequeris, non fugis hostem! Aula tamen accipit, opes stipant, honores aulæ Præfectum salutant, ipse Diocletianus amat. Fidem juro PANCHARI, odit tyrannus qui amat. Eheu! vates fui, blanditijs expugnatur cereus animus, & dum fidus regi laborat esse, cælo fit perfidus, Christum, pro? cum Iove mutat. Ite nunc aulæ mancipia, ite Principes, fidem aulæ habete utrique, quæ fidem frangit Deo. Nunquid rectè iterum illud clamabo? *Exeat aula, qui pius esse cupit?* Exit ecce PANCHARIUS aulâ, à matre & sorore Christianis castigatus, & pius est iterum, iterum Christum amplectitur, Iovemque damnat, spectante & audiente Diocletiano. Fuit hic